

ΘΗΣΑΥΡΟΣ ΤΗΣ ΕΛΛΗΝΙΚΗΣ ΓΛΩΣΣΗΣ

THESAURUS GRÆCÆ LINGUÆ AB HENRICO STEPHANO CONSTRUCTUS

Μελαγχολία, ή, Furor s. Desipiscentia ex atræ bilis redundantia. [Felles, Bilis atra, Gl.] Lat. etiam Melancholia, et Gall. *Mélanchole*, sed paulo latius Græcæ vocis signif. extendendo. **Μελαγχολία,** inquit Gorr., est Desipientia sine febre, timorem et mœstitiam sine causa inducens. Species est τῆς παραφροσύνης : habet enim depravatam facultatis imaginatricis et ratiocinatricis motionem, multa vana animo volvens quæ metuat, magnumque inde mœrorem concipiens. Sunt enim timor et mœstitia duo perpetua communiaque omnium melancholia laborantium symptomata, ut habetur ap. Hippocr. Aphor. 23 l. 6. In causa est humor melancholicus, qui, veluti externæ tenebræ omnibus pavorem inducunt, nisi vel audaces admodum vel philosophiæ præceptis instructi confirmatique fuerunt, ita colore suo atro et tenebris simili timorem parit et mœstitiam, multaque ejusmodi falsa animo repræsentat, quæ tamen vera ob facultatis ratiocinatricis depravationem reputantur. A quibus si quis volet melancholicos distinguere, infinitas prope reperiet eorum differentias. Tot enim erunt quot etiam cogitationum et spectrorum animo obversantium. Itaque non ex his, sed potius ex sedibus in quibus humor ille melancholicus et gignitur et redundat, Medici melancholiæ species distinxerunt, quod sic ad curationem maxime pertineret. Quod quia tribus locis contingit, ideo tres in universum melancholiæ differentiæ existunt. [Galen. De locc. aff. 3, 6 ; Paul Æg. 3, 14]. Siquidem ille gignitur et abundat vel in cerebro solo, vel in solis hypochondriis, vel in universo corpore. Qui in cerebro per se gignitur, et non aliunde in ipsum influit, melancholiæ eam speciem creat, quæ primaria et per se facta dicitur, alterato sc. cerebri temperamento, et inde nato melancholico humore corpus ejus replente. Quæ ex hypochondriis humore eo scatentibus oritur, hypochondriaca et flatuosa appellatur, quod ex iis, sed maxime sinistro, humor atque vapor cerebrum petant, quodque flatu plurimi in ventriculo, intestinis, abdomine, totoque etiam corpore, moveantur. Ea omnium mitissima esse solet, secundum eam quæ totius corporis vitio provenit. Pessima vero et fere incurabilis, quæ ex privato cerebri affectu oritur. Quum autem duæ sint potissimum humoris melancholici differentiæ, unus, frigidus et siccus, vinorum fæci respondens,

alter, calidior, acrior et ustione redditus ferocior, qui μέλαινα χολή proprie appellatur, ille morbum istum, de quo agimus, parit, ideoque febrem non habet : qui vero ab illo fit, non simpliciter melancholia, sed μελαγχολική ἔκστασις, h. e. σφοδρὰ καὶ θηριώδης, nuncupatur, febremque habet adjunctam tanquam phrenetidis et inflammationis cujusdam particeps. Cic. μελαγχολίαν Furorem interpr., distinguens ab insania, quæ μανία est, quum scribit Tusc., 3, [5] : Græci autem μανίαν unde appellent, non facile dixerim : eam tamen ipsam distinguimus nos melius quam ill ; hanc enim insaniam, quæ juncta stultitiæ, patet latius, a furore disjungimus : Græci volunt illi quidem, sed parum valent verbo : quem nos Furorem, μελαγχολίαν illi vocant : quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia graviore vel timore vel dolore, moveatur. Hæc de nomine : exemplum nunc unicum duntaxat subjiciam, quod passim, ap. Medicos præsertim [velut Hippocr. p. 288, 6, Aret. p. 27, 11, etc.], occurrat hujus vocabuli mentio, ap. Latinos etiam. [Plur. Manetho 2, 366 : Μελαγχολίησι καὶ ἄλγεσι κρυπτομένοισιν. Tim. Locr. p. 103, A : Ἐς μελαγχολίας ἄγοισαι.] Lucian. [Vitt. auct. c. 14] : Τουτὶ τὸ κακκὸν οὐ πόρρω μελαγχολίας ἐστίν.